



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Longinvs M. 15. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

ciisque & laborantibus solamen addere, & fatigatis sudorem abstergere illâ manu, quâ, cum lubet, nubes abstergit, & cælum serenat. Certè tanti esse PETRVS credidit VIRGINEM vidisse, ut cum ex ægritudine alterum deinde oculorum amisisset, minimè ægrè hoc ferret, memor, in quali oculo oculum suum abscondisset. Imò gratulatus sibi luscus est, è duobus hostibus, (sic enim ille oculos indigitabat) unum saltem amisisse. Lubens igitur etiã alterũ beatâ morte clausit. *Ex Petro de Natal.*

Reverà illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde jucunditas mæror est, omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne post remò quodcumque aliud delectare potest, molestum. S. Bern. in Epist.

S. LONGINVS M. 15. Martij.

LONGINVM ajunt Centionem ejus cohortis fuisse, quæ Servatori, & è cruce pendenti, & tumulo condito, custodiæ causâ fuit addita; Eundem lanceâ latus hausisse sacratissimum, geminosque amoris fontes sanguinis & aquæ nobis dedisse, autori etiam suo salutare, quippe cujus oculis medicinam fecisse liquor illapsus memoratur. Id certè nemo negaverit, tot miraculorum spectatori mentis oculos apertos esse, & cum facinus jam suum, ac Iudæorum videret, pectus planxisse, & testimonium divinitatis Crucifixo dedisse. Id cum & tunc & in publico post concilio fecisset, odiumque ingens sibi conflasset, Cappadociam gemino cum comite petiit. Sed & invidia comes ivit Iudæorum, & missi à Pilato, qui caput LONGINI referrent. In hos dum fortè offendit,

fendit, ipse cognitos incognitus domo excipit
habetque perliberaliter. Postridie LONGINVS
LONGINVM prodit, mirante & tesseram hospitii
frangere ipso hoste reuente. Sed animos addit
LONGINVS, jamque Martyrum purpuram ambiens
vestes candidas induit, animamque cælo, caput
Pilato dat ferendum. Hic nobile spoliū in fime-
tum abjecit. Prodedit tamen iterum se Divus, &
ut sepulchro caput cum filii cadavere conderet
matronam oculis destitutam monuit. Itaque tan-
tum thesaurum reperit cæca. Sed & oculos unā
reperit. *Ex Metaphr. & vitā Christi Germ.*

*Dominus meus IESVS, post cetera inestimabilis
sua erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi
propter me passus est latus fodi; quod videlicet non
nisi de dextra propinare mihi vellet, non nisi in dex-
tra locum parare refugij; utinam merear esse co-
lumba, quæ in foramine lateris dextri habitat? S.
Bern. serm. 7. Qui hab.*

S. ABRA MI VS ER. 16. Martij.

ABRAMI VS nobili loco natus, ipso festo nu-
ptiarum suarum die, cum domum sponsa du-
cenda esset, damnato thalamo, & sponsæ & mun-
do se subducens, in loca sola aufugit. Inde factis
iniriatus, efferam gentem longā patientiā, & supra
quā credi potest, magno labore Christo subegit.
sub hæc Maria neptis ex fratre, quam ille à tene-
ris, moribus optimis ac summā pietate imbuerat,
cum semel lapsa esset, per omnia deinde vitia vo-
luta, ex eremo demum in mundum (hoc est ex
cælo in orcum) præceps iuit. Iam publica infamia
& scopulus audiebat castitatis, cum ostento divi-
nitus objecto ABRA MI VS draconem vidit immani
rictu columbam incautam deglutire, qui tamen
no